



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Alter in Hispaniam reditus.. Cap. XII.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**



70 S. IGNATII VITA.  
negotio Venetias repetere, & id lo-  
corum Socios, qui litterarum studia  
propediem finiissent, præstolari.

IGNATII *postremum iter in Hi-  
spanias.* CAP. XII.

72. CUM huiuscemodi manda-  
tis discedit IGNATIVS, &  
breuî post in patriam ingreditur:  
sed ad fratrem, domus illustris prin-  
cipem, noluit neque diuertere, ne-  
que ab eo rerum necessariorum  
quidquam petere: tametsi nihil nec  
officij nec ingenij prætermiserit  
frater, quò eum cognatas in ædes  
pertraheret. Sed irritum id omne  
studium fuit. Maiori violentiâ pu-  
gnarunt matronæ, quas honestissi-  
mas aut sanguis illi, aut affinitas  
coniunxerat. Eæ cum actum agere  
se viderent, quòd vulgarias preces  
miscuissent; nouis molitionibus  
hospitem adortæ, in genua simul  
omnes procumbunt, perque Chri-  
sti amorem, vt ad fraternas ædes di-  
uertat, obtestantur. Labefactus hac  
machinâ hospes, hætenus succu-  
buit,



buit, vt eius, per quem obsecra-  
sent, amore, venturum se diceret;  
nec fefellit. Inter primas faces ad-  
est, ecce, **IGNATIVS**: & repudia-  
tis, quæ domus pararat, obsequijs,  
familiam prolixo pioque collo-  
quio ad amorem rerum cælestium  
hortatur. Inde perductus in cubi-  
culum, noctem vniuersam inter  
preces exigit. Post verò, vt primum  
diei diluculum fuit, in salutato fra-  
tre, & insciente familiâ, digressus;  
numquam deinde, vt regrederetur,  
potuit exorari: sed Xenodochio  
publico receptus, perseueravit ex  
more stipem ostiatum, quoad in  
patriâ mansit, corrogare.

73. Ibidem & puëris Christianæ  
rei rudimenta tradere; perque heb-  
domadem ter instituit pro concio-  
ne cum populo agere. Nam hîc  
ultra ad **IGNATIVM** omnibus  
vijs accurrere, & frequens adesse;  
adeò vt in camporum aperta fue-  
rint educendi, quòd templorum  
angustijs arcerentur. Vbi non pau-  
ci fuere, qui inscensis arboribus,



opportunum eius audiendi locum captarent. Quæ verò res miraculi speciem non obscuram habuit: cum febrî conflictabatur per id tempus IGNATIVS, & cetera valdè debilis, languebat: concionantis tamen oratio vltra passus trecentos syllabatim ac clarè accipiebatur. Valuerunt illiusmodi orationes aduersus crebra vitia, quæ vulgò inuasferant. Denique rebus ibi pluribus, cum pauperum aliorumque bono, constitutis, patriam rursus excedit. Secuta eum est admiratio apud ciues ingens, & mirificæ virtutis superstes fama.

74. Quippe satis constat, in ijs partibus hominem comitali morbo annos complures ægrum, eius ope conualuisse. Ibi feminam prætereà honestam, quæ lentâ phthisi tabescebat, viribus restituit: & aliam malo dæmone agitatum, obsidione exemit. Ibidem in hospitali cubiculo, cum aliquando sermonem de diuinis in plusculam noctem protraxisset, monendi fuerunt



runt amici, vt, qui tamdiu ab vnius ore pependissent, secedere demum vellent. Et abeuntibus ijs, dederat in mandatis **IGNATIVS**, lucernæ lumen, quod aderat, restinguere. Institerunt illi, sineret imò ardere: nam lumine id noctis opus esse. Rursum **IGNATIVS**; restinguerent modò: **DEVM**, quamquam obscurâ nocte, sufficere lumen, vbi res posceret, abundè posse. Factum; amici restinctâ lucernâ discedunt. Sed longo post interuallo, ecce tibi voces & gemitus. His ijsdem exciti, accurrunt, visum, ecquid opis hospes postulet? Reperiunt locum vndiq; omnem splendoribus plusquam diurnis coruscantem: ipsum verò **IGNATIVM** precibus intereà impensè operantem. Quos ille, cum rei spectaculo stupefactos aduertisset, tum quidem discedere iussos, sequenti luce per omnia iura obtestatus, rogabat, ne noctis eius factam apud mortales mentionem vellent.

75. Hæc omnia in famam mi-

E 5

raculi



raculi percrebuerunt, ut certatim multi in vestem IGNATII inuadere, tactuque religioso, ceu Sanctum, colere laborarint. Discessit inde nullo nec Socio nec viatico subleuatus; & mendicitate, quam numquam deserat, velut à longis delicijs reuocatâ, Pompeiopolim peruenit: inde Almazanum, post Seguntum Toletumque petijt, vbi data Sociorum mandata exsequeretur. Conscenso prope Valentiam nauigio, in Italiam intendit: ac multis iterum tempestatibus iactatus, postremò ad condictum, Venetias appellitur, ibi Socios præstolaturus.

IGNATIO quid Venetijs euenerit.

C A P. XIII.

76. **V**ERVM dudum apud inferos pro hoste habitus IGNATIVS, eorum inuidiâ, res Venetijs fanè inquietas nanciscitur. Nam odio agitati quidam, luculentis illum calumnijs de integro incessunt. Profugum ex Hispanijs